

Ad caelos tendit SELMNIZIUS, ima relinquit,  
Spiritus excelsus non nisi celsa petit.  
Spiritus in caelis vigeat! Sed floreat usque,  
His terris TUA GENS, hoc mea vota volunt!

Johannes Deutschmann/D.

Q*ui bene transegit concessa tempora vita,  
Soli Virtuticoracula docta sacrans,  
Hunc manet in terris mens, quæ sibi conscia Recti,  
Hunc manet in caelis Gloria, Vita, Decus.  
Sic Noster SELMNITZ nuper virtute coruscans,  
Nunc JESU socius vivit in Arce Poli.*

Joachimus Merger/D.  
& Prof. Pandect. Publ.

Heu quanta clades, quanta mortis invidæ  
Crudelitas hæc est! PARENTUM summa spes,  
SELMNIZIORUM stemmatis pernobile  
Decus, Juventæ flos, Avitæ strenuus  
Virtutis æmulus, Patris solatium,  
Et PRINCIPUM fulcrum PATRIS quondam loco,  
Coactus est perferre vim diræ necis.  
At mortuus veram subivit Patriam,  
JESUMq; summum quæsiit sibi PRINCIPEM.

*Condolentia sincera erga Nobilissimos Parentes  
causa scribebat*

Wernerus Theodorus Martini,  
J. U. D. Prof. P. & Ser. Elect. Saxon.  
Consiliarius.

Ergo licet tibi Parca ferox abrumpere telam  
Vitæ, fortune rumpere Parca licet?  
O durum subitumq; nimis, quod firmior ætas  
Et vigor ingenii vincere non potuit.  
Quem Pallas tam propitio generosa beavit  
Vultu; sic decuit tela parâsse necis?  
Nil juvat; satis est magnos tolerâsse dolores,  
Nunc frueris facie deliciâq; D&I.

Michael Fridericus Ledererus,  
J. U. D. Prof. Publ. & h. t. Decanus.  
Esto